

OPUSCULUM XXX.

DE MOTU CORDIS

(Erat. Rom. XXXV.)

Quia omne quod movetur, necesse est habere motorem, dubitabile videtur quid moveat cor, et qualis sit ejus motus. Non enim videtur ejus motus esse ab anima: ab anima enim nutritiva non movetur, quia animae nutritivae operationes sunt generare, alimento uti, et augmentatio et diminutio, quorum nullum motus cordis esse videtur: haec etiam anima plantis inest; motus autem cordis animalium proprius est. Nec etiam animae sensitivae motus esse videtur, nec intellectivae: quia intellectus et sensus non movent nisi mediante appetitu; motus autem cordis involuntarius est. Sed nec naturalis esse videtur, cum sit ad contrarias partes: componitur enim ex pulsu et tractu; motus autem naturalis ad unam partem est, ut ignis movetur tantum sursum, et terra deorsum. Dicere autem motum cordis esse violentum, est omnino extra rationem. Manifeste enim hoc motu subtracto, subtrahitur sive moritur animal, cum tamen nullum violentum conservet naturam. Videtur autem hic motus maxime naturalis esse, cum vita animalis et hic motus se inseparabiliter consequantur. Dicunt autem quidam hunc motum naturalem esse non ab aliqua particulari natura animalis intrinseca, sed ab aliqua natura universali, vel ab intelligentia. Sed hoc ridiculum est. In omnibus enim rebus naturalibus propriae passiones alicujus generis vel speciei aliquid principium intrinsecum consequuntur: naturalia enim sunt quorum principium motus in ipsis est. Nihil autem proprium magis est animalibus quam motus cordis; quo cessante, perit eorum vita. Sequitur igitur inesse ipsis animalibus aliquid principium talis motus. Adhuc, si aliqui motus in corporibus inferioribus ex natura universali causentur, non semper eis adsunt: sicut in fluxu et refluxu maris patet, qui sequuntur motum lunae, et secundum ipsam variantur. Motus autem cordis semper adest animali. Non est ergo a causa separata tantum, sed ab aliquo intrinseco principio. Dicunt autem alii principium hujus motus in animali esse calorem, qui per spiritum generatus movet cor. Sed hoc irrationabile est. Illud enim quod est in aliqua re principaliter, oportet esse causam. Principaliter autem in animali videtur esse motus cordis et magis contemporaneum vitae, quam quaevis alteratio secundum calorem. Non ergo alteratio secundum calorem est causa

motus cordis, sed potius e contra motus cordis est causa talis alterationis: unde Philosophus in lib. de mot. Anim. dicit, Oportet quod futurum est movere, non alteratione tale esse. Item animal perfectum, quod est movens seipsum, maxime accedit ad similitudinem totius universi: unde et homo qui est perfectissimus animalium, dicitur a quibusdam minor mundus. In universo autem primus motus est motus localis, qui est causa alterationis et aliorum motuum; unde et in animali magis videtur motus localis esse alterationis principium, quam e contra: unde et Philosophus in 8 Phys., hanc similitudinem sequens, dicit, quod motus est uti vita quaedam natura existentibus omnibus. Adhuc, quod est per se, prius est eo quod est per accidens. Primus autem motus animalis est motus cordis; calor autem non movet localiter nisi per accidens: per se enim calor est alterare, per accidens autem movere secundum locum. Ridiculum igitur est dicere, quod calor sit principium motus cordis: sed oportet ei assignare causam quae per se possit esse principium motus localis. Principium ergo hujus considerationis hinc oportet accipere; quod, sicut Philosophus dicit in 8 Phys., quorumcumque principium motus in seipsis est, hoc natura dicimus moveri; unde animal quidem totum natura seipsum movet: corpus autem ejus contingit et natura et extra naturam moveri. Differt enim secundum qualem motum quod movetur eveniat, et ex quali elemento constet. Cum enim animal movetur deorsum, est quidem motus naturalis et toti animali et corpori, eo quod in corpore animalis elementum grave dominatur, cujus natura est moveri deorsum; cum autem animal movetur sursum, est quidem motus naturalis animalis, quia est a principio ejus intrinseco, quod est anima; non tamen est naturalis corpori gravi; unde et magis fatigatur animal in hoc motu. Motus autem secundum locum in animalibus causatur appetitu et apprehensione sensitiva vel intellectiva, ut Philosophus docet in 3 de Anima. In aliis igitur animalibus totus processus motus naturalis est: non enim agunt a proposito, sed a natura: naturaliter enim hirundo facit nidum et aranea telam. Solius autem hominis est a proposito operari, et non a natura. Sed tamen quilibet operationis suae principium naturale est. Licet enim conclusiones scientiarum speculativarum et practicarum non naturaliter sciat, sed ratiocinando inveniat, prima tamen principia indemonstrabilia sunt ei naturaliter nota, ex quibus ad alia scienda procedat: similiter ex parte appetitus appetere ultimum finem, qui est felicitas, est homini naturale, et fugere miseriam; sed appetere alia non est ei naturale, sed ex appetitu ultimi finis procedit in appetitu aliorum: sic enim est finis in appetitibus, sicut principium indemonstrabile in intellectualibus, ut dicitur 2 Phys.

Sic ergo cum motus omnium aliorum membrorum ex motu cordis causetur, ut probat Philosophus in lib. de mot. Anim.; motus quidem alii possunt esse voluntarii, sed primus motus qui est cordis, est naturalis. Oportet autem considerare, quod motus sursum est naturalis igni, eo quod consequitur formam eius; unde et generans, quod dat formam, est per se movens secundum locum. Sicut autem formam elementi consequitur aliquis motus naturalis; sic nihil prohibet alias formas sequi alios motus naturales: videmus enim quod ferrum naturaliter movetur ad magnetem, qui tamen motus non est ei naturalis secundum rationem gravis et levis, sed secundum quod habet talem formam. Sic igitur et animal in quantum habet talem formam quae est anima, nihil prohibet habere aliquem motum naturalem; et movens hunc motum est quod dat formam. Dico autem motum naturalem animalis eum qui est cordis: quia, ut Philosophus dicit in lib. de motu Anim., existendum est constare animal quomodo civitatem bene ac legitime rectam. In civitate enim quando semel stabilitus fuerit ordo, nihil est opus separato monarcha, quem oporteat adesse ad singula eorum quae fiunt, sed quilibet facit quae ipsius sunt, ut ordinatum est, et fit hoc post hoc propter consuetudinem. In animalibus autem idem hoc per naturam fit: et quia natum est unumquodque sic constantim facere proprium opus, ut nihil opus sit in unoquoque esse animam, scilicet in quantum est principium motus, sed in quodam principio cordis existente alia quidem vivere, eo quod apta nata sunt facere proprium opus propter naturam. Sic igitur motus cordis est naturalis quasi consequens animam, in quantum est forma talis corporis, et principaliter cordis. Et forte secundum hunc intellectum dixerunt quidam motum cordis esse ab intelligentia, in quantum posuerunt animam ab intelligentia esse: sicut Philosophus dicit in 8 Physic., motum gravium et levium esse a generante, in quantum dat formam, quae est motus principium. Omnis autem proprietas et motus consequitur aliquam formam secundum conditionem ipsius; sicut formam nobilissimi elementi, puta ignis, consequitur motus ad locum nobilissimum, qui est sursum. Forma autem nobilissima in inferioribus est anima, quae maxime accedit ad similitudinem principii motus caeli. Unde et motus ipsam consequens similissimus est motui caeli: sic enim est motus cordis in animali, sicut motus caeli in mundo. Sed tamen oportet motum cordis a motu caeli deficere sicut principium deficit a principio. Est autem motus caeli circularis et continuus, et hoc ei competit in quantum est principium omnium motuum mundi: accessu enim et recessu corpus caeleste imponit rebus principium et finem essendi, et sua continuitate conservat ordinem in motibus, qui non sunt semper. Motus

autem cordis principium est omnium motuum qui sunt in animali: unde Philosophus in 3 de part. Anim., dicit, quod motus delectabilium et tristium, et totaliter omnes sensus hinc incipientes videntur, scilicet in corde, et ad hoc terminari: unde ad hoc quod cor esset principium et finis omnium motuum qui sunt in animali, habuit quemdam motum non circularem, sed similem circulari, compositum scilicet ex tractu et pulsu: unde Philosophus dicit in 3 de Anim., quod movens organice est ubi est principium et finis idem. Omnia autem pulsu et tractu moventur; propter quod oportet sicut in circulo manere aliquid, et hinc incipere motum. Est etiam iste motus continuus durante vita animalis, nisi in quantum necesse est intercidere morulam mediam inter pulsum et tractum, eo quod deficiat a motu circulari. Per hoc ergo de facili solvuntur quae in contrarium obijci possunt. Neque enim dicimus motum cordis esse cordi naturalem in quantum est grave vel leve, sed in quantum est animatum tali anima: et duo motus qui videntur contrarii, sunt quasi partes unius motus compositi ex utroque, in quantum deficit a simplicitate motus circularis, quem tamen imitatur in quantum est ab eodem in idem; et sic non est inconveniens si quodammodo sit ad diversas partes, quia et motus circularis aequaliter sic est. Nec etiam oportet quod causetur ex apprehensione et appetitu, licet sit ab anima sensitiva: non enim causetur ab anima sensitiva per operationem suam, sed in quantum est forma et natura talis corporis. Motus autem progressivus animalis causetur per operationem sensus et appetitus: et propter hoc medici distinguunt operationes vitales ab operationibus animalibus, et dicunt quod cessantibus animalibus remanent vitales, vitales appellantes quae motum cordis concomitantur, quibus cessantibus cessat vita, et hoc rationabiliter. Vivere enim viventibus est esse, ut dicitur 2 de Anim.: esse autem cuique est a propria forma. Hoc autem differt inter principium motus caeli et animam, quia illud principium non movetur per se neque per accidens: anima autem sensitiva licet non moveatur per se, movetur tamen per accidens: unde proveniunt in ipsa diversae apprehensiones et affectiones. Unde motus caeli semper est uniformis, motus autem cordis variatur secundum diversas affectiones et apprehensiones animae: non enim affectiones animae causantur ab alterationibus cordis, sed potius causant eas; unde in passionibus animae, puta in ira, formale est, quod est ex parte affectionis, scilicet quod sit appetitus vindictae; materiale autem quod pertinet ad motum cordis, puta quod sit accessio sanguinis circa cor. Non autem in rebus naturalibus forma est propter materiam, sed e contra, ut patet 3 Physic.; sed in materia est dispositio ad formam. Non ergo propter hoc aliquis vindictam appetit quia sanguis circa

cor accendatur sed ex hoc aliquis est ad iram dispositus; irascitur autem ex appetitu vindictae. Licet autem aliqua variatio accidat in motu cordis ex apprehensione diversa et affectione, non tamen illa variatio motus est voluntaria sed involuntaria, quia non fit per imperium voluntatis. Dicit enim Philosophus in lib. de causa mot. Anim., quod multoties apparente aliquo, non tamen iubente intellectu, movetur cor et pudenda: et hujus causam assignat: quia necesse est alterari alteratione naturali animalia; alteratis autem partibus, hoc quidem augeri, hoc autem decrementum pati, ut jam moveatur et permittetur natis haberi permutationibus invicem. Causa autem motuum animalis caliditas et frigiditas, quae de foris et intus existentes naturales et praeter rationem utique facti motus dicarum partium, idest cordis et pudendi alteratione incidente fiunt. Intellectus enim et phantasia passionem afferunt, ut concupiscentiae, irae et hujusmodi, ex quibus cor calescit vel infrigidatur. Et haec de motu cordis dicta sufficiant.

FINIS.

INDEX RERUM

QUAE IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR

OPUSCULUM I.

SUMMA TOTIUS LOGICAE ARISTOTELIS

PROOEMIUM. 1

TRACTATUS I.

DE QUINQUE UNIVERSALIBUS SECUNDUM REM ET SECUNDUM INTENTIONEM LOGICAM, SEU DE PRAEDICABILIBUS.

CAPUT I. Quid sit universale, et quomodo originetur.	2
CAPUT II. Quid sit genus, et unde originem habeat.	3
CAPUT III. Quid sit species, et unde sumat originem.	5
CAPUT IV. De origine differentiae; et quid ipsa sit secundum rem et intentionem.	7
CAPUT V. De genere generalissimo et subalterno: et quod ens non potest esse genus.	9
CAPUT VI. De origine proprii; et quomodo inest omni individuo speciei et semper.	12
CAPUT VII. Quod proprium inest soli speciei, et conversim de ipsa praedicatur.	14
CAPUT VIII. De origine accidentis, et descriptione ipsius.	15

TRACTATUS II.

DE PRAEDICAMENTIS QUAE GENERA RERUM DICUNTUR: ET PRIMO DE PRAEDICAMENTO SUBSTANTIAE.

CAPUT I. De diversis modis praedicandi.	18
CAPUT II. Quid sit substantia secundum intentionem logicam.	21
CAPUT III. De prima et secunda substantia, quid sint; et de ordine substantiae. <i>Adnotatio de reali distinctione essentiae ab esse in creaturis.</i>	25
ARBOR PORPHYRII	27
CAPUT IV. Quod substantia non suscipit contrarietatem, nec magis et minus: licet sit subjectum utriusque per sui mutationem.	28

TRACTATUS III.

DE PRAEDICAMENTO QUANTITATIS.

CAPUT I. De numero qui est quantitas discreta.	31
CAPUT II. De secunda specie quantitatis discretæ, scilicet de oratione.	33
CAPUT III. De quantitate continua in communi secundum logicam intentionem.	35
CAPUT IV. De quantitate habente positionem, et de requisitis ad ipsam.	36